

secundis, quæ veluti instrumenta divinæ artis sunt, tribui potest ut sine supremi artificis influxu efficiant. Ad hunc ergo modum potest ille locus exponi, ut nec assertioni nostræ, nec doctrinæ ejusdem auctoris in aliis locis, imo in eodem articulo in corpore contrarius sit. Si autem alicui visum fuerit vim aliquam inferri illi litteræ, potest persistere in priori responsione a nobis data, nam sine dubio sententia D. Thomæ in aliis locis satis perspicua est, et in eis si modum loquendi non correxit quoad sensum doctrinæ, saltem emendavit clarius loquendo, quod maxime ex his quæ de causis liberis dicemus confirmabitur.

CAPUT XXXIX.

QUID ARISTOTELES VEL ANTIQUI PHILOSOPHI DE NECESSITATE CONCURSUS PRÆVII IN CAUSIS SECUNDIS NATURALITER AGENTIBUS SENSERINT.

1. *Verba Aristotelis adducta ab adversariis.* — Superest ut de philosophis, præsertim de Aristotele, pauca dicamus. Nam P. Alvarez ita dicit suam sententiam esse expressam Aristotelis, sicut Augustini et Thomæ. Ad id autem probandum adducit hæc verba Aristotelis, 8 Physic., text. 53: *Utraque igitur movere dicimus, et primum et ultimum moventium, sed magis primum; illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, et sine primo quidem ultimum non movebit, illud autem sine hoc, ut baculus non movebitur, nisi moveatur ab homine.* In quibus verbis sentit Aristoteles quod, sicut baculus non movebit aquam, nisi moveatur a manu, ita neque causa secunda aget aliquid, nisi moveatur a prima. Habetque vim hoc testimonium, supposito alio principio ejusdem Aristotelis, quod agentia creata non movent nisi mota, 7 Physic., cap. 1, et lib. 8, cap. 5; et intelligit de proprio motu recepto in ipso agente, quia inde concludit deveniendum ad unum primum movens immobile. Tandem allegat Aristotelem, in libro de Caus., propos. 1 et 16, dicentem virtutem divinam esse virtutem omnium causarum, et conjungere illas suis effectibus.

2. *Explicantur illa verba.* — *Dubia mens Aristotelis de immediato causæ primæ concursu cum secundis.* — Sed imprimis in his locis nihil invenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secundis: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de moventibus motu physico. Ultimus autem locus non est Aristotelis, sed

vel Procli, ut quidam volunt, vel alicujus incerti auctoris Arabis, ut D. Thomas in principio Commentarii ejusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportionem ad quæcumque causam efficientem, neque posteriores, aliquid obstant assertioni positæ, sed illam potius confirmant, ut statim declarabo. Prius tamen adverto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in libro de Mundo ad Alexandrum, versum finem, id plane negare videtur ab illis verbis: *Reliquum est ut summam disseramus de causa quæ omnia continet; et de qua inquit: Vetus fama est, et quidem hæreditaria mortalium omnium, universa a Deo, et per Deum nobis esse constituta, nec vero ulla natura per se sufficit orbata salute quam ipse ferat.* Nihilominus statim latissime docet Deum non immediate ac per seipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem, inde virtutem suam diffundere, primo quidem ac præcipue in cœlestia corpora, et interea efficacius in ea quæ sibi propinquiora sunt, ac proinde hæc terrestria *divinam utilitatem* (ut ait) *infirmius participare.* Unde sic concludit: *Itaque rectius est judicare, quod etiam conveniens et Deo maxime decorum intelligitur, in cælo virtutem esse constitutam, et plurimum remotis, ut uno verbo rem absolvam, et omnibus in universum salutem afferre, quam penetrare, et eo frequenter accedere, ubi neque honeste, neque liberaliter ipse per se conficeret quæ apud nos essent.* Quod postea exemplo imperatoris humani late declarat et suadet, ac iterum concludit: *Gravius et decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, et virtutem ejus per universum mundum diffundi, solem et lunam versare, et cœlum totum convertere, auctoremque esse salutis eorum quæ in terra continentur.* Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia inferiora operari, et hoc putat ad efficaciam virtutis ejus pertinere. Et infra iterum sic ait: *Natura divina de simplici quodam rei primæ motu proximis largitur, atque de his iterum ad remotiora, quoad per universum transeat. Aliud enim ab alio motum, et hoc rursus aliud videtur agitare cum mundo.*

3. *Negat Aristoteles hunc concursum immediatum.* — Ex quibus evidenter apparet Aristotelem non credidisse Deum, per seipsum et immediate, operari omnia causarum secundarum opera immediate virtutis. Imo nec de hæc

immediata virtute sensisse videtur esse aliam ab influenza cœlorum, quæ ab ipso Deo movente cœlum originem ducit, et ideo virtus etiam dicitur, quia per virtutem ejus efficitur. In hoc autem Aristoteles graviter erravit, et de Deo et de efficientia ejus humiliter ac indigne sentit: ideo tam de illo quam de aliis philosophis ita dicentibus, merito dixit Albertus in 1, distinct. 45, art. 3: *Quidam philosophi excluderunt voluntatem Dei ab operibus naturæ, dicentes eum tantum posse movere primum mobile, alia vero moveri diversimode secundum distantiam ab ipso, et illi qui vanitatem secuti sunt, in vanitate obierunt, et obscuratum est cor insipientium eorum.* Sicut Tullius qui negat præscientiam, ut stabiliat casum et fortunam. Et Commentator super Physicam et Metaphysicam, qui negat Deum immediate operari in quolibet, ut stabiliat unicuique propriam actionem secundum propriam naturam quam habet; et in prima, distinctione tertia, articulo primo, Aristotelis conjecturas dissolvit.

4. *Nullum efficax argumentum ex Aristotele duci potest hoc loco.* — Cum ergo Aristoteles et ejus Commentator in errore versatus fuerit, nullum argumentum efficax ex ejus doctrina sumi potest; nam si omnino negavit influxum causæ primæ in effectus causarum secundarum, tam immediate virtutis quam suppositi, ut Albertus indicat, profecto neque concursum prævium, neque simultaneum admisit: si autem posuit causam primam influere in effectus causarum secundarum, saltem immediate virtutis, licet non suppositi, ut Fonseca sentit, et verba Aristotelis indicant, tunc mirum non est quod posuerit prævium influxum in causam, sicut nos capite sequenti dicemus de influxu cœlorum seu causarum creaturarum universalium, quia præter illum non posuit concursum simultaneum: unde si virtus increata Dei non operetur, per seipsam immediatam, actionem causæ secundæ, nec causa secunda sola sua virtute illam efficit, necesse est ut aliqua virtus creata addatur causæ secundæ, quæ habeat vicem Dei, et cum causa secunda operetur.

5. *Quid sit virtus quam Aristoteles dixit a prima causa derivari.* — Juxta hunc tamen modum ponendi prævium influxum in causam, tollitur concursus simultaneus immediate procedens ab ipso Deo, sicut Aristoteles illum negavit. Unde a contrario sumimus efficax argumentum. Nam ideo Aristoteles posuit virtutem illam descendente a Deo ad causas secundas, prius ad proximas, et per illas ad

remotas, quia non putavit Deum per se facere omnia, et esse in omnibus causis, et immediate immediatione virtutis propriæ et suppositi operari in omnibus; ergo e contrario, si immensitatem virtutis increatæ Dei intime existentis in omnibus causis et effectibus creatis cognovisset, et perfectum modum operandi Dei in omnibus immediate per suam virtutem et suppositum assecutus esset, profecto nunquam de illa virtute prævia et diffusa cogitasset. Quapropter virtus illa de qua Aristoteles locutus est, non est talis qualis ab his Theologis cogitatur. Nam ab Aristotele ponebatur ut virtus quædam per modum actus primi, quæ posset supplere totam immediatam efficientiam causæ primæ necessariam ad actionem causæ secundæ, ita ut illa virtus jam non indigeret alio concursu simultaneo ipsiusmet Dei, in quo sensu continet illa sententia gravissimum errorem in fide, et repugnantiam in ratione naturali, quia si virtus illa creata est, essentialiter pendet ab actuali influxu Dei, ut nunc supponimus esse demonstratum. At vero Doctores catholici longe sunt ab hoc errore: non possunt igitur Aristotelis auctoritate juvari, nec rationem reddere cur novam præviam virtutem creatam requirant, si virtutem increatam intime assistentem, et per seipsam operantem, ut par est, agnoscunt.

6. *Responsio ad Aristotelis loca allata.* — His ergo consideratis, facilis est responsio ad testimonia Aristotelis allegata. Ad primum enim respondemus Aristotelem ibi de moventibus et motis physico motu, sive locali, sive alterationis, sive alio simili loqui. In quibus manifestum est, si plura sint moventia et mota inter se subordinata, et sistendum esse in aliquo primo, quod ab alio non moveatur, ne detur processus in infinitum, et a primo movente pendere reliqua, quia, si primum cesset, cætera usque ad ultimum necessario cessabunt, quia primum non movet ultimum nisi mediante proximo: ergo si prima motio cesset, cætera deficient; e contrario vero non sequitur, si posteriora cessent, primum etiam cessare a motu, quia non pendet ab aliis in movendo. Et ideo dixit idem Aristoteles in eodem cap. 5, text. 4: *In moventibus et motis per se ordinatis magis movere primum, quam reliqua, quia potest moveri sine reliquis, non vero alia sine ipso.* Verumtamen in his locis, ut notavi, semper Aristoteles loquitur de causis ita subordinatis, ut ultima tantum immediate moveatur in illo ultimo motu, ita ut prima solum immediate moveat secundam, et per illam

tertiam, et secunda immediate moveat tertiam, et illa quartam, et sic deinceps. Et sic clarum est tam ultimam causam quam omnes intermedias debere moveri a prima motu proprio in unaquaque recepto. At vero subordinatio essentialis inter omnes causas secundas respectu primæ in agendo, longe altioris ordinis est; est enim dependentia immediata ab ipso Deo, tam immediatione virtutis quam suppositi; et ideo secundum hanc rationem non pendet a Deo ut movente ipsas causas, sed ut coagente, et ut movente subiectum illud in quo agit causa secunda, quem modum coagendi et movendi primæ causæ Aristoteles non agnovit, ut ostendi.

7. *Responsio ad secundum locum.* — Unde ad alium locum respondetur, principium illud: *Causa secunda non movet nisi mota*, in physicis motibus, propter peculiarem rationem et imperfectionem, inveniri semper verum cum proprietate, supposito communi ordine causarum naturalium universi, sive talis motus requiratur in causa propter applicationem localem, ut fortasse est in motu cœli, sive propter influentiam causarum universalium, cujus indigentia in his rebus inferioribus et elementaribus invenitur. At vero, abstrahendo a moventibus et motis physice, et loquendo generaliter de causa secunda effectrice sufficienter constituta in actu primo, cum omnibus conditionibus prærequisitis ad agendum, ante influxum primæ causæ, non est vera illa propositio, in proprietate intellecta de motu recepto in ipsa causa agente, quia nulla ratio vel necessitas talis motus assignari potest, nec terminus propter quem requiratur, ut ex dictis est manifestum. Aristoteles autem, si in eo sensu et universaliter illam propositionem intellexit, ideo est quia putavit influentiam primi motoris non attingere immediate effectus causarum secundarum, imo nec ipsas causas secundas proximas, sed solum aliquam supremam, quam solam Deo esse immediatam cogitavit, et ideo posuit illam influentiam pervenire ad ultimum effectum per aliquem motum omnium causarum intermediarum, ut jam declaravi. Illa autem falsa et erronea cogitatione de medio sublata, impertinens est ille motus ad propriam influentiam primæ causæ per se requisitam ad actiones causarum secundarum, ut jam satis explicavi.

8. *Quomodo causa secunda dicatur ab Aristotele moveri a prima.* — Dixi autem non esse veram propositionem cum proprietate intellectam, quia per quamdam metaphoram, ut

Fonseca dicit, vel secundum quamdam proportionem, ut ego in *Metaphysica* dixi, verissima est. Nam sicut in *Physicis* proximum movens, verbi gratia, baculus pendet a manu movendo, et non movet nisi motus, altiori modo pendet causa secunda in agendo a prima, nec illa agere potest nisi adjuta ab ista, et secundum hanc metaphoram vel proportionem solet concursus Dei vocari motio causæ primæ, non quia sit motio propria ipsius causæ secundæ, ut sic, sed quia est motio illius rei in quam agit causa secunda, et simul est auxilium ipsius causæ secundæ. Nec hæc interpretatio nova est, aut nostra: nam Cajetanus, 1 p., q. 14, art. 13, illam tradit, licet aliis verbis; ait enim, cum dicitur causam secundam non agere nisi motam a prima, id posse intelligi vel de motione prævia, vel de cooperativa, et in priori sensu esse falsam, in secundo autem veram, et ita esse intelligendam; constat autem motionem cooperativam non afficere causam secundam, nec illam proprie immutare. Scotus etiam, licet in multis locis repetat illam propositionem: *Causa secunda non agit nisi mota a Deo*, ut in 1, d. 2, q. 2, et dist. 8, q. 2, et d. 39, q. 5, § *Contra ista*, nihilominus in 4, d. 1, q. 1, expresse negat causam secundam recipere aliquid a prima, ex vi generalis concursus, et ideo necesse est ut illud axioma de cooperativa motione intellexerit. Lychetus etiam et Corduba supra allegati, licet a Cajetano dissentiant in usu distinctionis motionis præviæ vel cooperative ad respondendum Scoto, nihilominus distinctionem ipsam admittunt, dicuntque nunc causam secundam non moveri a Deo nisi motione cooperativa, et accommodata unicuique rei, quia Deus libere agit: dicunt autem aliud fuisse futurum, si Deus ex necessitate ageret, quod nunc nihil refert.

9. *Ad librum de Causis.* — Ad propositiones allegatas ex libro de Causis (quidquid sit de auctoritate illius libri et de sensu in quo loquitur de causa prima, quod longiorem postulabat disputationem, nunc non necessariam), respondeo virtutem primæ causæ esse virtutem omnium, non formaliter, sed effective; tum quia confert virtutem omnibus causis; tum quia omnes adjuvat, et cum omnibus operatur, ita ut sine illa nihil per se valeant reliquæ virtutes efficere, quæ omnia vera sunt sine prævia motione, ut jam satis explicatum est. Et similiter dicitur virtus causæ primæ conjungere causas secundas suis effectibus effective, quia immediate ac per se efficit cum

illis actiones earum per quas actiones formaliter conjunguntur suis effectibus. Etenim, licet daretur influxus prævius, non conjungeret formaliter causam secundam suo effectui, quia ex vi illius adhuc maneret causa in actu primo, ut supra ostensum est, et ita semper conjunctio formalis fit per actionem; ut autem causa prima efficiat illam conjunctionem, non est necessaria virtus diffusa, sed per suam increatam virtutem id facit, atque adeo per concursum simultaneum, ut jam supra declaratum est.

10. *Conclusio.* — Ex his ergo propositionibus, et ex aliis quæ de illo libro referri solent, nihil aliud quam cooperatio causæ primæ cum secunda comprobatur. Et si qui philosophi recte de Deo senserunt, hoc modo efficientiam ejus in omnibus et cum omnibus causis explicarunt. Solentque referri Plato in *Timæo*, in quo nihil clarum invenio, et Trismegistus, in *Dialogo Crater*, quem videre non potui. Verba autem Philonis in libro, *Quod sit incorruptibilis mundus*, parum a medio, quæ Boetius refert et commendat, hic referam, quia optima sunt: *Deus* (inquit) *inspicit singula, paternam curam gerens rerum omnium, et ut vera fateamur, aurigæ more gubernatorisque regit et gubernat universa, soli, lunæ, cæterisque syderibus, aeri quoque, cæterisque mundi partibus assistens, cooperando quidquid ad universalitatem, rectamque et inculpabilem dispensationem pertinet.* Cum ergo, ex sententia philosophorum recte sentientium, divina cooperatio ad ejus universalem efficientiam cum causis secundis satis est, solique illi posuerint influentiam præviam in causam vel remotam, qui de immediata Dei efficientia in omnibus actionibus creaturarum non recte senserunt, negari non potest quin sententia nostra in vera philosophorum auctoritate solidius habeat fundamentum quam contraria.

CAPUT XL.

SOLVENDO RATIONES ASSERTIONI NOSTRÆ CONTRARIAS, EADEM VERITAS AMPLIUS CONFIRMATUR.

Cum dictum et probatum sit, ad demonstrationem assertionis positæ, satis esse ostendere prævium influxum in causam non esse necessarium, si rationes omnes haecenus excogitatae ad persuadendam hanc necessitatem invalidæ ostensæ fuerint, profecto sola talium rationum solutio ad assertionem confirmandam sufficere posset, ac deberet. Hoc ergo superest in hoc capite præstandum, in quo septem

rationes primas quæ in agentibus naturalibus locum habent, dissolvemus.

1. *Quomodo causa secunda nihil agat nisi in virtute primæ, quæ erat prima ratio probandi concursum prævium.* — Prima ratio nitetur in illo principio, quod causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ, quod verissimum est: ejus autem legitimus sensus est, quem capite præcedenti insinuavi, scilicet, causam secundam non habere virtutem per se et (ut ita dicam) solitarie agendi, sed in omni actione sua debere cooperativo nihil agere potest; et ita dicitur in libro de Causis, in principio, quod causalitas causæ secundæ formatur per causalitatem causæ primæ, quia scilicet in omnibus Deus immediatius, et intimius, ac principalius operatur, ut fere exposuit D. Thomas in 2, d. 1, q. 1, ad 4. Ad hoc autem necessarium non est ut, præter virtutem agendi permanentem, et in suo genere efficientem, quam etiam habet a prima causa, recipiat in se aliam virtutem fluentem, quia non in virtute illius agit, sed in virtute increatæ potentiæ in ipso Deo existentis. Cujus signum est, quia, etiamsi virtus permanens causæ secundæ intelligatur affecta alia virtute fluente, utraque nihil agere potest nisi in virtute causæ primæ, non solum quia utramque dedit et conservat, sed etiam quia utraque pendet essentialiter a proprio influxu immediate procedente a virtute increata primæ causæ. Unde dato antecedenti in dicto sensu, negatur consequentia, quia, supposita insufficientia virtutis causæ secundæ, est superflua alia virtus creata fluens, neque in illa fundatur illud principium, quia licet causa prima et secunda simul concurrant, et secunda non indigeat alio prævio concursu, nihilominus non concurrunt ut duæ causæ ejusdem generis, neque se juvantes quasi per accidens ex utriusque insufficientia, sed ut causæ diversorum ordinum, quarum inferior est per se sola insufficientis, et essentialiter dependens a superiori, et ideo agit in virtute illius, non vero e contrario, quia superior per se potens est et sufficiens, ut supra dictum est. Unde omnia quæ ibi afferuntur ad probationem antecedentis supervacua sunt, et coincidunt cum secunda ratione, ubi expediuntur.

2. *Ad confirmationem, virtutem causæ secundæ esse actum primum admixtum potentiæ, quomodo id intelligatur.* — Ad confirmationem, cum in ea sumitur virtutem causæ secundæ esse actum primum, ac proinde esse